



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. I. Quæ requiratur in eo dispositio animæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

neger: uti & de lumine præferendo, quando defertur Sacramentum foras; atque ex causa id posse omitti, ut cum defertur ad ægrum longe distantem, nec commode fieri potest cum lumine.

DUBIUM II.

De subjecto, seu suscipiente Eucharistiam.

ARTICULUS I.

Quæ requiratur in eo dispositio animæ?

Resp. I. Qui est in mortali, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas celebrandi, vel communicandi, & Confessarius desit. Ita *Trid. sess. 13. c. 7. & Canon.* ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo *Corinth. 11. præter autem se ipsum homo, &c.* Et parum refert a praxin, utrum tantum sit præceptum Ecclesiasticum, an tantum divinum, quod est probabilissimum, ut docet *Sua. Filii.* & alii commun.

Dixi I. *In peccato mortali:* tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato: tum quia venialia, esto comitentur, imo reddant venialia malam ipsam sumptionem, non ponunt obicem gratiæ sanctificati. Quod si tamen multa sint, & intra genus suum gravia, de quibus nulla poenitentia concipitur, actualem devotionem

fructum majorem impediunt. *Suar. Laym. & alii.*
Unde resolves.

I. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an mortale sit rite confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita *Bon. d. 4. q. 6. p. 2. ex Sanch. Regis. Suar. & aliis.*

Dixi II. *nisi sit necessitas*, (non quæcunque, v. g. festi celebritas, vel magna devotio, ut quidam volunt) sed gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus: præmissa tamen semper contritione; ad quam tunc teneris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus. *Præp. Card. de Lugo d. 14. f. 6. n. 122.*

I. Periculum mortis, vel ut consecratur hostia pro morituro, *Suar. Con. Card. de Lugo d. 4. f. 50. n. 107.*

II. Si sacrificium, vel communio non possit omitti, absque gravi infamia, vel scandalo; *Idem. Ant.*

III. Si Parochus debeat celebrare ex officio, ut populus sacrum audiat. *Ibid.* Ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere, putat *Dian. cum aliis 11. p. 9. t. 3. R. 9. contra Palaum. Aversam. & c.*

IV. Si urgeat præceptum de annua communionem, ut docet *Henriq. & probabile putat Præp.* vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, ut habet *Henriq. & Sotus, Dian. R. 63. & 64.* nec improbat *Card. de Lugo l. c.* Probabilius tamen videntur docere *Con. Sa. Suar. & alii,* cessante scandalo & infamia, præstare tunc sacrum, & communionem etiam Paschalem, intermitte-

C c re, eo

re, eo quod hæc præcepta non obligent, quando non possunt impleri convenienter juri divino.

V. Si Sacerdos post consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur, tenetur elicitam contritionem, sacrificium prosequi. Si vero id fiat ante consecrationem, & præferri ante Canonem, debet confiteri, si absque nota infirmitatis potest, vel recedere, ut docet *Sylv. Navar. Dian.* & alii contra *Sotum* & *Henriq.* qui negant teneatur, ob honorem sacrificii, puratque præceptum esse probabile *Laym. & Bon.* eo quod vix sit in omni nota confessio decenter fieri posset: nisi fortè in Missa solemnè, sub cantu, vel concione, quo casu tenebitur confiteri, ut notat *Sylv.* Quod si verò nec contritionem possit elicere, secundum communem sententiam, esset confitendum, vel desistendum, licet *Vasq. in 3. p. tom. 3. d. 27. & Hurt. de Euch. d. 8.* putent probabile esse, saltem non peccaturum mortaliter, quando non peccat sine nota recedere: intellige, si conatus sit elicere, vel fecit quod potuit, v. *Dian. p. 4. l. 4. res. 1.* *Card. de Lugod. 9. s. 2. n. 8.* ubi idem docet, Negatur autem *Dian. ex Præp.* satis esse, si quis bona conscientia putet se esse contritum, licet subdubitet.

VI. Si in scamno communicantium recordaris peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec sine nota, aut scandalo gravi, possis recedere, ut habet *Navar. Fill. Regin. Card. de Lugod. l. 1. n. 112* & alii; porrigenti autem Eucharistiam confiteri non expedit, nec decet, quo casu etiam si quis possit elicere contritionem, excusatur à peccato *Hurt. l. c.* Imò quidam D. D. apud *Henriq.* ex

culant laicum ante confessum etiam præcisa nota, & scandalo, non recedentem; eo quod is dicatur justificatus, & probatus per confessionem. Quam sententiam probat *Tambur*, in *expedita com. c. 1. §. 8.* potestque servire pro scrupulosis. *v. Regin. l. 29. n. 105. Bonac. d. 4. p. 10. Esob. 7. c. 6.*

Dixi III, *Et desit confessarius*: deesse autem censetur non ut quidam volunt; si absit is, cui solet, & cuperet confiteri; vel cui devotius aut utilius confiteretur: neque etsi Religiosus non possit, nisi sæculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia Religionis. *Amicus. Dian. p. 9. t. 3. R. 13.* sed in sequentibus casibus.

I. Si nullus sit præsens; ad absentem verò sine magna difficultate, (spectata tū debilitate, ætate, & negotiis personæ, cum aliis circumstantiis, ut ævis, brevitate temporis) adire non possis *Bon. l. c. n. 30. ex Suar. Con. Ec.*

II. Si non adsit nisi ignarus idiomatis, vel carentis jurisdictione, vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo, vel aliene, vel si habeas peccatum tantum reservatum, nec pateat aditus ad superiorem; vel Superior semel iterumque per ipsum Confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi. *Tambur. in expedita com. c. 1. §. 6. ex Fagund.* Limitat autem *Dia. p. 9. t. 3. R. 15.* si absque gravi nota prætermittere non possis. Ita *Sylv.* & alii. Requiritur tamen, in his etiam casibus, contritio & propositum confitendi; imo ex præcepto *Trid.* Sacerdos, qui in tali casu celebravit, tenetur prima occasione confiteri.

Quod præceptum extendendum non videtur
laicos, vel Sacerdotes communicantes tantum
ut contra *Navar. & Fagund.* docet *Sylv. & Dian.*
& *Bonac. d. 4. q. 6. p. 1.*

ARTICULUS II.

Quæ requiratur dispositio corporis?

Resp. I. Nulla corporis macula per se impedit
susceptionem Eucharistiæ, cum parum faciat
bonitatem, vel malitiam moralem: potest tamen
men aliquando per accidens impedire, proprio
effectus secutos. Ita *commun.* Unde resolvetur.

I. Non impedit pollutio involuntaria, imò
voluntaria per poenitentiam expiata; nisi effectus
malignum, v. g. turpem recordationem ac de-
stationem, vel distractionem, & perturbacionem
animi relinquat: eo enim casu, uti & semper, po-
culpabilem, præstat, ac secundum sententiam
communem, sub veniali debet differri, nisi aliter
suadeat justa aliqua causa, v. g. magnus fructus
festivitatis, regula ordinis, vel si à Dæmone ex-
tata putetur, ad communionis frequentiam im-
pediendam. *Sanch. l. 9. de matr. d. 13. Bon. d. 4. q. 1. p. 2. C. de Lugo d. 15. s. 1.*

II. Neque actus conjugalis impedit, etsi de-
ceas, & consilii sit, abstinuisse saltem nocte pro-
xime antecedente, si raro communicet. Ita *Sanch.*
& *Sanch. l. c. Escob. t. 7. E. 6. n. 83.* Intelligit, si debi-
tum petitur ex necessitate reddit, nec ullam
inde animi perturbacionem, aut effectum ad
venereas patitur: si vero voluptatis causa fecerit
eo die